



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XIV. Quanta obligandi vis humanis legibus insit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

Princeps etiam post humillimam majoris & sanioris partis monitionem urgeat executionem legis suæ, populus ei morem gerere tenetur, quia eo in casu judicare debet exigere Reipublicæ bonum, ut nulla antiquæ suæ consuetudinis ratio habeatur. Ergo ne lex civilis etiam si cum avita consuetudine pugnet, etiam si sententiâ sanioris partis populi videatur majori Provinciarum bono afferre impedimentum, si à Rege urgeatur, stringit, obligat, & judicari debet Reipublicæ utilior: lex vero lata à Supremo Eccle-

siæ Pastore, cui data est ligandi atque solvendi plenaria potestas, atque Patrum traditionis depositum, & universi Christiani populi regimen commissum est, si nolit eam subditorum pars acceptare, erit invalida, neque publico bono promovendo censenda erit idonea? Undenam tam dispar de Civilis, & de Ecclesiastica legis auctoritate judicium? Libertates Ecclesiæ Gallicanæ solent deprædicare: sed istas aut Apostolicæ Sedis concessione, aut conniventia tantum consistere, ex hac ipsa dissertatione colligitur.

C A P U T XIV.

Quanta obligandi vis humanis legibus inest?

S U M M A R I U M.

1. Quomodo Leges humanæ obligent Proposit. 1.
2. 3. 4. & 5. Probatur diversimodè.
6. 7. & 8. Solvuntur Objectiones.
9. Quid de Lege pænali sentiendum.
10. Propositio 2. Probatur.

11. Cautela.
12. 13. Objectiones solvuntur.
14. Propositio 3. Probatur.
15. Potest res levis fieri gravis ex circumstantiis.

Quomodo
Leges hu-
manæ obli-
gent.

PROXIME sequitur, ut inquiramus quomodo humanæ leges subditos ad observationem obstringant: quæ sane quæstio nonnullas veluti subalternas comprehendit. Sunt vero, quæ subjiuntur, num obligent etiam in conscientia, num cum propriæ vitæ periculo, num sub gravi pœna & mortalis culpæ reatu, dum rem tenuem parvique momenti imponunt, aut prohibent. Atque in his subiecta theoremata verfabuntur.

I. PROPOSITIO I. Humanæ leges, etiam Civiles, obligant in interiori conscientia foro.

Est hæc thesis contra Waldenses, cæterosque Refractarios opinantes humanam quamlibet legem absque læsione conscientia violari, si absit scandalum; nec non adversus Gersonem; qui tamen in hoc à Sectariis discrepat, quod fateatur Ecclesiæ Antistites posse determinare modum ac tempus, quo jus Divinum subditos stringat, ita ut humanarum legum fractores peccati sese reos constituent non ob violatam hominum præscriptionem, sed ob Divinum præceptum duntaxat. Quod si ita accipiatur, ut leges humanæ participant vim obligandi à Divina & æterna, à qua leges ipsæ derivantur, optimam habebit intelligentiam. Leges itaque humanas etiam coram Deo, atque in foro interiori inferiores obstringere, sacrarum literarum auctoritate, Testimoniis Patrum, aliisque Theologicis argumentis demon-

Atque ex Scripturis hæc satis sunt manifesta. Paulus ad Rom. xiii. scribit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: & v. 5. Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quo sane in loco etiam de sæculari potestate sermo instituitur, imo de vectigalibus, ac tributis Romano Cæsari pendendis loquitur Paulus, atque juxta Dominicam sententiam Matt. xxiii. 21. *Reddite &c.* Ad Hebræos quoque scribit idem Apostolus cap. xiii. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Petrus pariter prior Epistola cap. ii. 13. & 14. inquit: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: & v. 18. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam, dyscolis.*

Ex Patribus hæc perpaucæ proferam. S. P. Augustinus in Epist. ad Bonifacium docet, quod sicuti quicumque legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium; quemadmodum contigit tribus pueris stantibus contra sacrilegam legem Nabuchodonosor; ita, *Quicumque legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium.* Atque in eadem Epistola optimam quoque rationem suppeditat non dissimilem ab ea, quam citatis locis insinuat Apostolus: videlicet, quoniam iustas leges ferendo fer-

2. Probatur 1. ex Scriptura.

3. Probatur 2. ex Patribus.

viunt ſæculares principes æterno Regi ad bonum promovendum, ad pœnam impiis irrogandam, ad probis honeſtiſque benefaciendum. Quod commonſtrat S. Pater exemplo Ezechia, Joſia, Regis Ninivitarum, aliorumque. Ubi ergo leges principum juſtæ ſint, (nam ſi injuſtæ, leges nequaquam ſunt appellandæ,) illis obtemperare tenemur; quoniam habent ſinguli, ut conſulant Reipublicæ, à Deo poteſtatem regni, atque imperii; nec ſolum Catholici, verum etiam idololatræ & impii, quales fuere Nero, Domitianus, Julianus: de quibus legendum primum ac viceſimum caput libri v. de Civ. Dei. Vide & Tractatum vi. in Joannem prope finem. Præclara eſt ſententia Bernardi lib. de præcepto & diſpenſ. cap. 9. *Sive Deus, ſive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Neceſſe non eſt plura afferre, cum Patribus etiam profani Scriptores conſentiant, inter quos extat verſus Sophoclis: *Ἀρχόντες εἰσιν. ὁδὲ ὑπαικτόν. τί μὴ;* *Principes ſunt, obſequendum; quiſſini?*

Veniamus ad rationes Theologorum. Principio adverſus rectam rationem neſas eſt operari. At quiſquis humanas leges infringit, agit contra rectam ſanamque rationem. Recta quippe ratio ſuadet, ne facere omittamus quæ ad Reipublicæ commodum, ad religionis incrementum, atque ad æternam beatitudinem plurimum conferunt: cujus generis eſſe juſtas Imperatorum, Regumque Conſtitutiones, ſapienter animadvertit Auguſtinus in v. de C. Dei cap. xiv. Egidius Romanus de Regimine Principum, Ammianus libro xxxix. atque ipſi Imperatores Theodoſius & Honorius in Epistoſa ad Marcellinum. Principum itaque ſtatutis humiliter obtemperandum eſt. Ratio conſimilis eſt, quoniam non potuerunt omnia, quæ pertinent ad vitam recte inſtituendam, ex ſola naturali æternaque lege nobis inſcripta dignoſci; cum ſit hæc communis quædam ratio, & meſura in univerſum debitæ rectitudinis, ſingulis ſpeciali aliquo ordine coaptanda. Atque id præſtant humanæ leges, quibus ab æterna proſequentibus in certis rerum circumſtantiis humana vita dirigitur. Ad normam itaque legum iſtarum ſe gerere debet, quiſquis ipſam æternam legem cenſet per omnia cuſtodendam. Deinde hoc utimur epichere- mate: Rectori ſubalternæ communita-

tiſ, qualis eſt domus, familia, cœnobium, tenemur ſub peccato obedientiam præſtare, propterea quod vicem gerit ſupremi Domini, ut docet Apoſtolus ad Ephēſios capite quinto, ac ſexto. Hoc autem valere etiam de amplioribus communitatibus, cujuſmodi eſt civitas, provincia, regnum, nemo non videt. Imo potiori quodam titulo Dei vicem tenent amplioris multitudinis Præſides ac Magiſtri, ut per ſe res ipſa declarat. Hiſ ergo parere & obedire ſub peccati reatu tenemur.

Hæc vero argumenta pro lege Eccleſiaſtica & civili faciunt ex æquo. Verum pro Eccleſiaſtica militant alia com-
plura. Primum eſt, quod Dominus de Eccleſiæ Paſtoribus inquit, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Igitur qui transgreditur Eccleſiaſticas conſtitutiones, Divinam ſimul legem infringit. Alterum, quod proſcriptæ ſunt hæc propoſitiones: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter.* Tertium, quoniam præcipit ſæpenumero Eccleſia, inſigendo etiam pœnas anathematiſ, plura, quæ non ſunt directe juris naturalis & Divini, ut obſervantiam aliquorum feſtorum, Communionem in Paſchate, cœlibatum ad ſacros Ordines promotorum, aliæque innumera, quibus Catholici omnes obtemperandum eſſe fatentur. Sed pro theſis confirmatione dictum ſatis.

Oppoſitiones poſſunt pariter ad tria capita revocari. Etenim ex Scripturis obſciunt verba Deuteronomii iv. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Matth. xxviii. 20. *Docete ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis, & xv. 9. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Et Apoſtolus in i. ad Corinthios cap. vii. 23. ait: *Nolite fieri ſervi hominum.* Hæc tamen contrariæ opinioni nequeunt tantillum probabilitatiſ afferre. Nam in Deuteronomio præcipitur Hebræiſ, ne legitimis Domini addant abominationes, cæremonias, & ſacrificia Gentilium, neque à Diviniſ inſtitutiſ deſciſcant: quod liquet ex cap. xii. ejusdem libri v. 30. & 31. ubi præcedens ſententia repetitur, atque explicatur. Non ergo præceptiſ humaniſ legem ſepientibus, aut Traditionibus Patrum verba Deuteronomii repugnant. In cap. autem xxviii. Mat. divinorum præceptorum præſcribitur obſervatio; non tamen humanarum legum inducitur deſpicientia & contemptio: quam deberi quidem

5. Probatur de lege Eccleſiaſtica tantum.

6. Obſciunt i. ex S. Scriptura & ſol-
vitur.

4. Probatur 3. ratione Theologica.

dem institutionibus Pharisaicis pugnantibus cum Lege naturali, atque aeterna, aut fundatis in futile persuasione, recte commonet in quintodecimo capite Evangelista, ubi redarguit Pharisaicum proloquium, *Mumus quodcumque est ex me*, superiori capite vi. expositum. Apostolus ad Corinthios hortatur ne quis servus fiat hominum, aut coacte cum infideli conjugate habitans, aut circumcisioni semetipsum subiciens: quibus in rebus foret humanum praeceptum contra Evangelicam libertatem. In hac tamen, cum non sit ab aequitate disjuncta, iis, quae rectae rationi conveniunt, est obsequendum: auscultandum Ecclesiae, Matth. xviii. 17. pendendum tributum principi, Matth. xxi. 21. & ad Rom. xiii. 7. obediendum Dominis carnalibus, ad Ephes. vi. 5. At inquit Calvinus: Christus est legislator, & iudex, & quidem unus, ut habetur in Epist. Jacobi cap. iv. v. 12. Fatemur: legislator est, iudex est, & unus etiam; si loquamur de supremo ac summo, aut de illo qui scrutatur renes, & corda: de quo fit sermo in Epistola illa Canonica adversus illos, qui detrahunt proximo, & sinistram proferunt de ipso iudicium.

7. Dehinc tria obiectant ex Augustino. Obiicitur 2. Primum promunt ex Epistola ad Januarium 119. nunc 55. cap. 19. ubi docet refecanda statuta hominum, quae Religionem servilibus oneribus premunt. Alterum ex Serm. 6. de verbis Domini, nunc. 62. cap. 8. in quo ait posse Imperatorem damnare ad carcerem, non ad gehennam. Tertium ex libro contra Faustum xxi. cap. 27. ubi peccatum per solam oppositionem ad legem aeternam definit. Quae omnia si perlegeris, miraberis Adversariorum oscitantiam. Laudata quippe Epistola repudiat Augustinus praesumptiones quorundam, qui saluberrima Divina praecepta infringentes, vana quaedam servabant, & gravius arbitrabantur peccare terram per octavas nudo pede calcantes, quam vino fieri languidos ac temulentos. De his num. 35. ait: *Omnia itaque talia, quae neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri possint causae, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione refecanda existimo.* Quo in loco Ecclesiasticas leges,

vetustas consuetudines & institutiones iusta causa formatas commendat ac probat, dum refecanda ait statuta varia ac praesumpta, quae Religionem servili onere premunt. At quomodo cum legis vinculo stet Christiana libertas, & cum multitudine praeceptorum suave jugum, demonstravi cap. xii. In Sermone pariter iv. num. 13. sive cap. 8. statuit Augustinus ex Apostolo omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, & quaestionem instituit, num etiam obediendum sit Imperatori, si injustum aliquid jubeat. Respondet autem, tunc contemnendam esse potestatem, ut serviat majori, nempe Deo; quemadmodum neque praestatur obedientia Curatori, si contra Proconsulem jubeat, nec Proconsuli, si aliud jubeat Imperator. Tum inquit: *Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Recte, sed non in idolo. In idolo prohibet. Quis prohibet? Major potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur.* De legibus ergo cum Divina pugnantibus istic pertractatur; & simul ostenditur non pugnantibus esse obtemperandum. In xxi. contra Faustum tradita illa definitione peccati, *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra aeternam legem*, statim addit: *Lex vero aeterna est ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* At qui humanam legem transgreditur, perturbat naturalem ordinem, simulque aeternam legem laedit, saltem, ut inquit Scholae, remote. Ergo peccat.

8. Tertio loco obijciunt argumenta petita à ratione. Quorum primum est. Obiicitur 3. Nequit inferior ligare in foro superioris. Ergo nequit homo obligare in conscientia, quae est forum Dei. Alterum: non potest homo inferre poenam inferni. Igitur nec obligare sub peccato, cui poena illa respondet. Confinile est, quod sequitur: Nemo mortalium potest ab alio auferre gratiam sanctificantem, ideoque nec legem ferre sub peccati poena stringentem. Proximum est: Potestas civilis ordinata est ad temporalem civium tranquillitatem; nullam ergo in foro conscientiae inducit obligationem. Postremum sit: Non omnia praecepta sunt juris Divini; non ergo obligant sub peccato. Respondetur ad 1. posse optime inferiorem ligare in foro superioris, si illius tanquam minister vicem gerat; quales esse omnes Superiores, servato inter illos ordine, dictum su-

ſupra. Ad 2. & 3. pariter reſpondeo, poſſe inferiore obligare ſub pœna inferni, & privationis gratiæ; in quantum præcipit munitus auctoritate ſupremi Domini utramque pœnam irrogantis. Ad 4. neganda eſt conſequentia, quandoquidem ſub peccato ſervare tenemur illa quoque præcepta, quæ ad temporalem tranquillitatem ſervandam, & Reipublicæ commodum promovendum ſunt inſtituta, quemadmodum debent filii præſtare obedientiam parentibus in iis, quæ ad regimen familiæ conducunt; ideoque humanæ leges ſunt temporales quantum attinet ad objectum, non comparate ad debitum, ac vim obligandi, uti ſe habet etiam in pluribus lex naturalis. Ad ultimum vero jam dixi omnia præcepta eſſe juris Divini atque æterni remote, quamquam non ſint immediate ac proxime: quare tertium hujus libri capitulum iterum legito.

9.
Quid de lege
pœnali ſen-
tiendum?

Si quæras quid ſentiendum ſit de lege *Pœnali*, id eſt pœnam minitante; dico, ſi lex ſit pœnalis tantum, in qua nullatenus exprimitur vis obligationis atque præcepti, neque pœnam præſcribat, cui ſuapte natura aliqua culpa reſpondeat, uti evenit aliquando in Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, hanc legem non inducere conſcientiæ vinculum, præſiſo tamen ipſius legis contemptu. Sunt hujusmodi legum plurimæ in Ordinis noſtri Conſtitutionibus, ut legitur in Prologo, atque in Statutis Ordinis Prædicatorum, aliorumque, ut inquit 2. 2. q. 186. Doctor Angelicus. Obligant tamen hujusmodi leges poſt transgreſſionem ad pœnam ſubeundam: idque ante ſententiam judicis, ſi pœna ſit latæ ſententiæ, nec requirat actionem judicis ut executioni mandetur; poſt ſententiam autem, ſi fuerit ſententiæ ſerendæ. Eſt autem pœna ſententiæ jam latæ, quotieſcunque in lege apponuntur iſtiusmodi verba, *Ipo facto*, *absque alia declaratione*, *eo ipſo excommunicatione immodatus exiſtat*, aut his conſimilia. In legibus tamen pure pœnali- bus puniſio, quam fractores ſubeunt, multa potius, gravamen, atque incommodum appellanda eſt, quam pœna & ſupplicium. Pœna enim proprie dicta eſt ſumptum de peccato ſupplicium: unde in 111. de lib. Arb. cap. 18. inquit Auguſtinus: *Omniſ pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Haſtenus de legibus pure pœnaliſ. At aliæ ſunt, quas Theologi *Pœnales mixtas* appellant, in quibus legislator, à cujus voluntate pendet num lex ad ſolum gravamen; num

etiam ad opus obliget, ſimul & præcipit quid fieri oporteat, & præſcribit animadverſionem in transgreſſores. Atque iſtiusmodi leges tam ad opus obligant, quam ad pœnam, ſi illud ſpontè fuerit prætermiſſum. Sed de his plura Vanroy de legibus cap. VII. q. IX. Et Guerrero Tract. VI. §. 7. aliique de Theologia Morali pertractantes.

PROPOSITIO II. Humanæ leges non ſemper obligant cum gravi nocumento, & cum periculo vitæ.

10.

Propoſitiō 2.

Probatuſ

Communem hanc Aſſertionem Theologi omnes his momentiſ communiant. Neque lex poſitiva ſacrorum librorum auctoritate firmata in vitæ diſcrimine, atque magna urgente neceſſitate quemlibet ſtringit. David enim profugus, & fame impellente ſanctificatos panes propoſitionis comedit 1. Regum cap. XXI. 6. tamenſ erant illi cibis Levitarum duntaxat, ut præcipitur 24. Levitici v. 9. Diſcipuli pariter apud Matth. XII. eſurientes ſabbato vellebant frumenti ſpicæ; prædicto exemplo Davidis à Domino v. 3. excuſati. Etiam Mathathias electique Hebræorum ſtatu-erunt in ſabbato eſſe pugnandum; ne univerſus populus interiret, ut legimus in 1. Machab. cap. 11. 41. Si autem non tenent in rerum anguſtiis poſitivæ ac Divinæ leges; proſectò neque Eccleſiaſtica, neque Civiles. Deinde Eccleſia eximit complures ab audiendò Sacro, ſervandoque jejunio, demonſtrans latas à ſe leges cum vitæ diſpendio nequaquam eſſe ſervandas. Latæ ſunt inſuper humanæ leges pro communi Reipublicæ bono, & Religionis decore promovendo; ubi ergo utrumque illuſum perſiſtit, & gravis cauſa ad eas non ſervandas impellit; nulla ipſarum habebitur violatio. Præterea hæ leges circa materiam minimè neceſſariam interdum verſantur; in qua legiſlatoris intentio non eſt inferiores obſtringere in magno vitæ diſcrimine. Vetuſtæ denique Etruſcorum leges ab Hebræis dubio procuſ derivatæ, & receptæ à Romanis, erant, feſtiſ diebus jurgia, & famularia opera non patrandæ, & nihilo minus ex veteri Romanorum Jure poſita ſunt, quæ ſcribit Virgilius Georg. lib. 1. quod neceſſitati parandum eſt, in qua

. vivos deducere
nulla
Religio vetuit, ſegeti prætereſſe
ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere
vepres,
Balantumque gregem ſtudio merſare
ſalubri.

Le

Legatur in 2. de legibus Cicero, & Servius in hunc locum Virgilii. Igitur humanas leges exceptiones plures habere, præsertim in necessitate, quam appellat Seneca *magnum humana imbecillitatis patrocinium*, evincunt sacra, & profana exempla rationibus confirmata.

11.
Cautela.

Non tamen absolute thesim hanc pronuntiavimus: quippe ubi id postulat publicum bonum, aut Religionis causa, quoniam hæc sunt præponenda privatorum hominum incolumitati, stringunt humanæ leges in extremo quoque periculo; ita ut nefas sit aut militibus imminente patriæ interitu, quam possent defendere, fugam, ne obtruncari valeant, arripere; aut cum puillorum scandalo, & Religionis contemptu vesci idolothytiis, sive carnibus immolatiis, atque azymophagiis. Ait enim Ecclesiasticus cap. iv. 33. *Pro iustitia agnizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro iustitia.*

12.
Objectiones.

At objicies: Pugnat præcedens assertio cum ratione, cum decretis Pontificum, & cum sanctissimarum Religionum Statutis. Cum ratione quidem; nam lex humana ad commune bonum est ordinata, & pro communi bono debet unusquisque vitam profundere. Decretis autem, quoniam Cap. *Sacris*, Innocentius III. sancivit non esse communicandum cum excommunicato per metum. Statutis denique Regularium; etenim nec in extrema valetudine fas est Carthusiano vesci carnibus, aut Moniali egredi è septis Monasterii, ut sanitatem assequatur aeris salubritate.

13.
Solutiones.

Resp. ad 1. utique si de Reipublicæ incolumitate, aut de Religione agatur, legem humanam esse observandam cum propriæ vitæ dispendio; *Nemo quippe dubitat cavendi majoris damni causa patiendum esse damnum, quod minus est*, inquit S. Pater de Mendac. cap. 18. Diluitur quod sequitur, respondendo loqui Pontificem de metu levi, & de communicatione cum scandalo, & contemptu; cum alias gravissima necessitate impellente non teneamur excommunicatum vitare ex Canone, *Quoniam multos*, caus. 11. q. 3. & ex Cap. *Inter*. De Carthusianis autem non eadem est sententia Doctorum. Nos arbitramur illicitum esse illis carne vesci, si præsto sint alii cibi, cum ob præstantiam voti, quod ne irrepant graves abusus, religiose simul & rigoroſe servandum est, tum ob sanctissimi instituti consuetudinem, atque qualitatem ipsam piscium & olerum per se servandæ vitæ proficuum. Etenim, ut exempla mittamus

antediluvianorum patrum, qui sine carnibus diuturniorem vitam egerunt, necnon Eliæ, Danielis, pueri Amalecitæ, atque Evangelicæ turbæ, producta ab Antonio Guerrero, qui nunc Ordinem utilium librorum editione collustrat, Tract. vi. Th. Mor. §. 6. q. 12. carnibus abstinendum putarunt Sextius Philosophus apud Senecam Epist. 108. Xenocrates & Polemon apud Clem. Alex. vii. Strom. Perfarum Magi apud Hieronymum 2. adv. Jovinianum. Quod si mavis exempla Sanctorum, legito quæ de Matthæo Apostolo scribit laudatus Clemens Pædagog. 2. de Jacobo fratre Domini Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 20. & de aliis priscorum temporum fidelibus Tertullianus in libro de cultu faminarum. Hanc vero abstinentiam à carne, & animalibus esculentis non solum hi laudant tanquam rigidioris vivendi rationem; verum etiam ut alimentum piscium, & olerum sit minus exercentibus corpus, & ægrotis ac senibus accommodatissimum, quomodo demonstrat Michael Boudewins percelebris Medicus ac Theologus P. 2. Ventilabrique xviii. Eapropter etiam Quadagesimale jejunium tanta Veteres observatione peregrisse, ut potius extremum spiritum agerent, quam carnem degustarent, animadvertit Balsamon in Scholiis ad vi. Canonem Apostolicum, & eximius Magister Lupus ad Concilii Romani octavum. Expresse insuper de voto Carthusianorum pertractarunt Tridentini PP. gravibusque pro illius observantia adductis momentis, noluerunt illud explicatione aliqua mitigare. Hæc nos movent, ut credamus Carthusianis etiam in extremo laborantibus, dummodo alii suppetant cibi, à carnibus esse abstinendum. Quam sententiam propugnant Vasquez, Salmanticenses, Sylvius, Habert, atque ex Nostratibus Vanroy, Piette, Guerrero. Sunt tamen qui putant id licitum esse Carthusianis excluso periculo scandalii, ut Gerson, Major, Adrianus: imo qui tenent etiam ad hoc obligari, ut Almainus, Medina, Herminier. Verum hi olus ac pisces existimant nocens obsonium, dum Brunonis discipuli saniori iudicio ajunt cum Prudentio in Hymno *καθημεριών* tertio:

*Nos oleris coma, nos filiqua
Fota legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.*

De moniali pariter, ob monasteriorum faminarum decus, atque honestatem plu-

pluris ſane faciendam, quam morbus unius, cenſeo non eſſe permittendum, ut egrediatur è clauſtro; quod expedit tamen, ſi epidemia aut peſtilentia laboret, aut cauſa alia interſit ex enarratis in Cap. *Periculoſo*, de ſtatu Regularium, & in Bulla Pii V. quæ incipit, *Decori, & honeſtati*. Iſtud tamen aſſertioni noſtræ nequaquam opponitur. cum fateamur privatam cuiusque vitam cedere honori, ac bono Communitatis.

14. PROPOSITIO III. Non poteſt Legislator operi, quod tam in ſe inſpectum, quam attentis rerum circumſtantiis leve eſt, parvique momenti, adnectere obligationem ſub pœna mortalis culpæ.

Probatur. Hoc aſſertum inter Scholaſticos commune eſt; ac ſatis ex eo liquet, quod humanæ leges ab æterna derivatæ debeant ipſi conformari. Lex autem æterna præſcribit inter transgreſſionem ac pœnam debitæ æquitatis comparationem: neque enim juſtiſſimus Judex Deus Opt. Max. leviſſimo furto, aut officioſo mendacio, aut prolato per jocum verbo, aut operi conſimili veniali reddit ſempiternæ damnationis ſupplicium. Quod ſi Princeps capitali pœna minimam proximo illatam injuriam puniret; quis eum Tyrannum potius, quam civitatis rectorem non appellaret? quanta inde non provenirent plebis incommoda, ac terriſſimæ frequentiſſimæque hominum cædes, atque inde, inſidiarum, ac turbulentiæ ſeditionis fomentum? At longe

his grave peccatum, & conſequens gehennæ ſupplicium deterius eſt. Ergo iſtud transgreſſioni leviſſimæ reſpondere non debet: quin & Jurisconſultis cautum eſt, ne alicui præter neceſſitatem grave onus imponant, ne ſeſe ſubjiciant Domini exprobationi; qua Matth. xxiii. v. 4. novimus vellicari leges Phariſæorum.

Fieri tamen poteſt, ut res per ſe levis, ob loci, temporis, ac perſonarum adjuncta, gravis ſit reputanda. In exemplo ſit facta primis parentibus præſcriptio, ne certæ arboris fructus attingerent: quam legem attentata hominis conditione, & præſtanda Cratori obedientia, opus non exigui momenti, quod fuiſſet alias pertenuis, conſtat inhibuiſſe. Dictum de hac lege lib. xii. cap. 12. prop. 1. Ad hunc modum ſe habent quædam Superiorum noſtrorum præcepta, quæ tametsi videantur aliquando pertenuem circa materiam verſari, conſiderata regularis obſervantiæ neceſſitate, atque intenti finis excellentia, poſſunt nos gravi obligatione conſtringere. Si pariter in parva quoque materia fregeris Quadrageſimale jejunium, aut feria ſexta vel ſabbato carnem guſtaveris, quoniam ſunt hæc Apoſtolica Traditionis capita, & Romanæ Communionis ab hæreticorum ſectis divulſæ ſingularis character, ſcleri obnoxius eris graviſſimo. Atque his nullo adhibito ſtudio objecta quæque repelles.

15. Poteſt res levis fieri gravis ex circumſtantiis.

CAPUT XV.

Poſſe Eccleſiaſticis legibus præſcribi actus etiam internos.

S U M M A R I U M.

1. Aliud eſt directe, & indirecte præcipere.
2. Actus internus indirecte præcipi poteſt.
3. An Actus interni per ſe, directe præcipi poſſint.

4. 5. & 6. Probatur Propoſitio.
7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.

Aliud eſt directe, & indirecte præcipere.

ALIUD eſt, juxta verborum ſignificationem, aliquid *directe* præcipere, aliud vero, *indirecte*. Indirecte præcipitur, quod alterius cauſa jubetur, propterea quod absque illius adminiculo, aut omnino fieri non poteſt, aut ſaltem non fit bene, atque, ut oportet; ita lex præſcribens E. G. contractuum obligationem, præcipit quoque aſſenſum liberum voluntatis, ſine quo haberi non poteſt duorum, vel plurium conventus ac ſtipulatio: & præceptum horas canonicas perſolvendi, mandat quoque *indirecte* etiam attentionem ac devotionem, ſine quibus fruſtuoſa ac

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

perutilis eſſe nequit oratio. At *directe* illud præcipitur, quod per ſe, & absque conſideratione alterius proponitur obſervandum, E. G. opus, quod ipſa lege declaratur eſſe complendum; ut intereſſe ſacro, ſervare jejunium, tributum ſolvere, atque his conſimilia.

Præcipi autem humana, & præſertim Eccleſiaſtica lege actum interiore *indirecte*, certum eſt, neque Doctores re ipſa diſſentiant. Enimvero in Conc. Later. iv. cap. *Dolentes*, præcipitur, ut Divinum Officium recitetur *ſtudioſe pariter, & devote*: atque in Clem. de Celebr. Miſſ. *ut hora legantur in puritate*

2. Actus internus indirecte præcipi poſſe.